Secundum.

Sacrum missæ officium diebus festis reverenter audito. Conc. Agathense Can. 47.

Tertium.

Indicta certis diebus jejunia, & à quibusdam cibis abstinentiam observato. Can. Apost. 68. Ignat. Epist. ad Philippenses.

Quartum.

Peccata tua Sacerdoti proprio, aut alteri cum ejus facultate singulis annis confitetor. Conc. Later. IV. Can. 21.

Quintum.

Sacrosanctam Eucharistiam, ùt minimùm semel in anno, idque circa festum Paschæ sumito. Conc. Trid. Sess. 13. Can. 9.

Quem fructum adfert horum observatio præceptorum?

Hæc atque id genus alia Ecclesiæ tum instituta, tum præcepta, primùm fidem humilitatem, & obedientiam Christianam exercent: deinde cultum divinum, honestam disciplinam, & publicam tranquillitatem alunt, conservant & ornant; eóque mirificè conferunt, ut decenter & ordine cuncta in Ecclesia peragantur; præterquàm quòd æternam vitam meremur, si illa ex caritate observemus. 1. Cor. 14. Gal. 2. Phlip. 4.

CAPUT IV.

DE SACRAMENTIS.

Quid est Sacramentum?

EST invisibilis gratiæ signum visibile, ad nostram sanctificationem divinitus institutum: aliud est enim, quod in Sacramento videmus, aliud quod in eo accipimus: signum videmus externum; occultam verò & spiritualem gratiam, quæ res dicitur Sacramenti, accipimus. Augustin. l. 10. de civit. D. c. 5. Ambros. l. 4. de Sacram. c. 4. Conc. Florent. in doctr. de Sacram.

Quot sunt Sacramenta?

Septem, quæ à Christo Domino instituta, ab Apostolis tradita, & in Ecclesia Catholica semper conservata ad nos usque pervenerunt: Sunt autem hæc: Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo, Matrimonium. Conc. Trid. Sess. 7. can. 4.

Quare

Quare Sacramenta veneranda, & summo in pretio habenda sunt?

Conc. Trid. Sess. 7. can. 1. & 7. 8.

Primùm quidem, quia à DEO & Christo Domino in lege nova instituta: deinde quia gratiam Dei nobis necessariam, eámque uberrimam non modò significant, verùm etiam ceu vasa quædam sacra divini Spiritus continent, & ritè suscipientibus conferunt: ad hæc quoniam adversùs peccatum præstantissima sunt remedia, seu divina medicamenta nostri Samaritani: postremò, quia bonis gratiam habentibus eam ipsam conservant, augent & amplificant.

Cur Sacramentis ceremoniæ solemnes & Ecclesiasticæ adhibentur?

Conc. Trid. Sess. 7. can. 13. Origen. hom. 5. & 12. in Numeros. Dionys. Areop. de Eccl. Hierarch. c. 1. 2. 3. 4. 5. & 6. Aug. l. 3. de doctr. Christian. c. 9.

Multis profectò & gravibus de causis: Primùm, ut Sacramentorum administrationem spectantes admoneantur, nihil hìc profanum, sed arcana quædam & divinis plena mysteriis geri, quæ singularem reverentiam exigant. Deinde, ut ad Sacramenta ipsa accedentibus cultum promoveant interiorem, quem DEUS præcipuè postulat, & cujus veluti signa, testimonia & exercitia sunt ceremoniæ. Præterea, ut Sacramenta ministrantes majore cum dignitate & fructu munus suum obeant, dum veteris Ecclesiæ institutis, sanctorúmque Patrum vestigiis, fideliter inhærent. Constat etenim hujusmodi ceremonias plerasque inde à temporibus Apostolorum per continuam successionem ad nos usque in Ecclesia perseverâsse. His demum retinetur honesta religiosáque disciplina; his fovetur publica tranquillitas? quæ sæpè rituum externorum aut immutatione, aut innovatione graviter interturbatur.

Quid est Baptismus?

Matth 28. Joan. 3. ad Tit. 3. Conc. Trid. Sess. 6. cap. 4.

Primum maximéque necessarium legis novæ Sacramentum, quod semel in aqua confertur, quo spiritualiter renascimur, & peccatorum plenâ remissione perceptâ in filios Dei adoptamur, hæredésque vitæ cælestis adscribimur.

Quid est Confirmatio?

Actor. 8. & 19. Conc. Flor. & Trid. Sess. 7. can. 1. de confirm.

Est baptizatis collatum ab Episcopo Sacramentum, in quo per Sanctum Chrisma & verba sacrosancta confertur gratia, & robur Spiritûs additur, tum ad firmiter credendum, tum ad nomen Domini, quando sic est opus, liberè confitendum.

Quot

Quot sunt præcipua de Eucharistia doctrinæ capita scitu necessaria?

Quinque: Primum est ejus veritas. Alterum est panis & vini in Christi Corpus & Sanguinem conversio. Tertium adoratio debita. Quartum ejus oblatio. Quintum & postremum ejusdem Sacramenti sumptio.

Quæ est veritas Sacramenti Eucharistiæ?

Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. Joan. 6. 1. Cor. 10. & 11.

Nimirum hæc: Christum verum DEum ac hominem verè ac integrè in hoc Sacramento contineri, & nobis adesse, ubi sacerdos ritè ordinatus panem & vinum verbis illis arcanis, & à Christo traditis consecrârit.

Quæ fit conversio per verba illa, quibus hoc Sacramentum Sacerdos consecrat?

Conc. Later IV. cap. 1. Flor. & Trid. Sess. 13. cap. 4.

Ea, ut per ipsa verba, operante Christo, panis & vinum in Corpus & Sanguinem Dominicum convertantur, ac transubstantientur, atque ita panis & vinum esse desinant in Eucharistia.

Quæ Sacramentò huic debetur adoratio?

Ambr. l. 4. de Sacram. c. 4. Aug. in Psalm. 91.

Eadem sanè, quæ Christo Domino ac æterno Deo debetur; quippe quem illic præsentem agnoscimus: ideóque religioso cùm corporis tum animi cultu, ùt par est, hoc Sacramentum suplices veneramur.

Quare censetur hoc Sacramentum oblatio?

Malach. 1. Psalm. 109. Luc. 22. Hebr. 7. Conc. Nicæn. l. can. 14. Dionys. Areop. de Eccl. Hierarch. c. 3.

Quia est legis novæ Sacrificium, & oblatio munda, eruentis legis Judaicæ sacrificiis ineruenta succedens, quæ pro vivis ac defunctis Christi fidelibus in missa offertur ac celebratur. Unde fit, ut Eucharistia non solùm à fideli populo sumatur; sed etiam pro peccatis à Sacerdotibus ad Dominicæ passionis ac mortis continuam commemorationem quotidie immoletur, sempérque oblata fuerit in Ecclesia DEI.

Quid in Sacramenti hujus sumptione servandum?

Joan. 6. Conc. Constantiens. Sess. 13. Conc.

Quod fides & authoritas sanctæ matris Ecclesiæ docet; videlicet Christiano laico sat esse, sub una specie panis totum Christum accipere; & ex hac sumptione consequi, ut qui dignè accesserit, ingentem Dei gratiam,

Trid. Seſſ. 13. cap. 3. tiam, ac æternam quoque vitam obtineat: qui verus ac integer Sacramenti hujus fructus exiſtit; eóque fit efficacior, quò ſæpiùs ſacra & ſalutaris illa communio dignè iteratur.

Quid eſt pœnitentia?

Joan. 20. Matth. 15. Eſt ſecunda poſt naufragium tabula, & neceſſarium relapſis Sacramentum, in quo remiſſio peccatorum & à reis petitur, & à Sacerdotibus tribuitur.

Quot ſunt partes & actiones pœnitentiæ?

Conc. Flor. & Trid. Seſſ. 14. cap. 3. & can. 4. Pſal. 50. Actor. 19. Jacob. 5. Matth. 3. Luc. 3. Actor. 26. Tres: contritio & dolor animi peccata ſua deteſtantis, & ad vitam meliorem aſpirantis: Confeſſio, ſeu peccatorum ſuorum coram ſacerdote facta explicatio: Satisfactio denique, ſeu vindicta punitióque criminum de ſe ipſo ſumpta, ad præſtandos fructus dignos pœnitentiæ.

Quid eſt extrema Unctio?

Jac. 5. Conc. Flor. & Trid. Seſſ. 14. Eſt Sacramentum, quo ægroti per oleum ſacrum & verba Chriſti in magnis morbi moleſtiis relevantur, ut feliciùs ex hoc mundo demigrent, & corpora etiam, ſi ita expedit, ſanitati reſtituantur.

Quid eſt ordo?

Matth. 10. Luc. 9. Joan. 20. Act. 13. 1. Tim 4. ad Tit. 1 Hebr. 5. Eſt Sacramentum, quo Sacerdotibus aliisque miniſtris Eccleſiæ poteſtas confertur ad Eccleſiaſtica munia rite decentérque obeunda.

Quid poſtremò eſt Matrimonium?

Gen. 2. Matth. 19. 1. Cor. 7. Epheſ. 5. Eſt Sacramentum, quo vir & mulier legitimè contrahentes individuam vitæ ſocietatem ineunt, gratiáque divinâ donantur; tum ut ſoboles honeſtè & Chriſtianè ſuſcipiatur ac educetur; tum ut fœdæ libidinis & incontinentiæ peccatum evitetur,

Eſtne inter Sacramenta diſcrimen?

Conc. Flor. & Trid. Seſſ. 7. can. 9. & Seſſ. 21. cap. 4. Apoc. 2. Eſt ſane: Baptiſmus enim, Confirmatio & Ordo ſemel collata nunquam iterantur, ſicut cetera. Item Baptiſmus neceſſariò ſuſcipitur ab omnibus, Euchariſtia à ratione utentibus, & à relapſis Pœnitentia. Arbitrarium eſt autem uti reliquis, modò nullum contemnas, aut, cùm illud ſumendi tempus eſt, negligas.

* * *
* * *
*

CAPUT